

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

X. Primo arguitur ad probandum dari in Angelis materiam physicam similem nostræ, quia substantia Angeli, etiam in ratione substantiæ aliquam habet compositionem, alioqui si omni compositione careret in genere substantiæ æquaretur simplicitati divinæ, quantum ad id quod substantiæ est, sed materia non est aliud quam potentia substantialis pertinens ad compositionem: ergo si in genere substantiæ admittunt potentialitatem, etiam admittunt rationem materiæ. Unde remota materia non apparet quomodo distinguatur Angelus a creatore, et ab ejus simplicitate, si nulla duplicitas invenitur in substantia Angeli tamquam partes ejus, sed totum quod substantia est, simplex est. Nec poterit esse medium inter purum actum, et puram potentiam nisi participet utroque extremo, sed purus actus est Deus, et pura potentia est materia: ergo Angelus, qui est medium inter illa de utroque debet participare; et sic aliquid debet habere de materia.

Confirmatur, quia Angelus est compositus ex genere, et differentia cum sit in prædicamento substantiæ, et per varias species distinguitur: sed genus sumitur a materia, et differentia a forma, et non sumitur a materia, quæ est subjectum accidentium, sed quæ est subjectum formarum substantialium, quia genus substantiale est; et sic a materia substantiali debet sumi: ergo in Angelis datur materia substantialis, et similis nostræ, quia per eam convenit univoce in genere cum substantia corporea. Nec sufficit dicere quod conveniunt in materia metaphysica, non physica: nam materia metaphysica est ipsum genus:

ergo si hæc sumitur a materia metaphysica, idem erit dicere quod genus sumitur a materia, ac dicere quod genus sumitur ex genere.

Secundo, confirmatur ex illo dicto Augustini XII confessionum, cap. XXI quod: « Deus fecit materiam communem visibilium, et invisibilium: » nomine autem invisibilium intelliguntur Angeli. Et similiter Boetius in primo de Trinitate dicit, quod: « Forma simplex subjectum esse non potest: » sed Angelus est subjectum multorum accidentium: ergo non est forma simplex: ergo aliquid compositum ex materia, et forma.

Respondetur, quod Angelus in genere substantiæ aliquam habet compositionem, non quidem ex partibus substantialibus, qui est sola forma subsistens, sed ex ipsa forma et subsistentia, ex substantia et esse, quod etiam pertinet ad compositionem substantialem, et intra genus substantiæ, quia subsistentia licet non sit pars compositiva substantiæ, est tamen terminus, et similiter ipsa existentia. Et hæc etiam vocatur compositio metaphysica in quantum distinguitur a partibus physicis; et sic natura substantialis dicitur materia metaphysica respectu subsistentiæ, et existentiæ, id est, res terminabilis ab illis. Et præterea etiam in genere substantiæ habet potentialitatem, quatenus est subjectum accidentium: nam esse subjectum pertinet ad substantiam, caret tamen subjecto susceptivo formæ substantialis, non tamen ex hoc æquatur simplicitati divinæ, etiam in genere substantiæ, quia substantia divina nec ad partes, nec ad subsistentiam, nec ad existentiam, nec ad accidentia, vel operationes est in potentia; et sic est actus purus, etiam in genere substantiali: materia autem dicitur po-

tentia substantialis, non quomodo-cumque, sed in ordine ad componendum cum forma substantiale tamquam cum parte, et principio specificationis, cum quo componit ipsam naturam seu speciem. Potentia autem ad recipiendum existentiam, et subsistentiam, qui sunt termini substantiales, etiam substantialis potentia est. Unde ut distinguatur simplicitas Angeli a simplicitate substantiæ divinæ, non indiget habere partes duplicatas, nec materiam compositivam naturæ, sed sufficit habere substantiam, quæ non sit ipsum esse, sed sit in potentia ad esse, et ad subsistere, ut bene tradit D. Thomas opusc. xv, c. viii, solutione ad quartum.

XI. Ad primam confirmationem respondetur, quod, ut ostendimus in logica quæstione septima, genus non sumitur a materia physica, quæ est altera pars compositi, sed ab ipso toto, quatenus in eo invenitur aliquid de potentia, et aliquid de actu determinante, et contrahente hanc potentiam. Nec dicimus genus sumi a materia metaphysica, quæ est ipsummet genus, sed ab ipsomet toto, quatenus habet rationem potentialitatis respectu alicujus gradus seu prædicati contrahentis: ad quod etiam conducit ipsa potentialitas substantiæ ad suum esse, et ad suum subsistere, quia quod est in potentia ad existentiam, et subsistentiam, potest concipi sine individuatione, et consequenter in abstracto. Et ulterius in ipsa ratione abstracta potest concipi aliquid, quod est commune cum multis, et quod est proprium istius. Et illud commune dicitur potentiale et genericum, et loco materiæ habetur. Unde non sumitur genus a seipso, quando dicitur sumi a materia metaphysica, quia sumitur a potentialitate alicujus naturæ, secundum quam convenitur cum pluribus.

Quæ potentialitas etiam vocatur materia metaphysica, quia non est potentialitas ad componendum cum forma substantiale, quæ est materia physica, sed est potentialitas unius prædicati ad aliud, vel ipsius naturæ ad esse, vel ad subsistere. Constat autem quod in accidentibus datur genus, et differentia intra suam propriam quidditatem, et lineam, et tamen in sua quidditate non componuntur ex materia, licet accidens dicat ordinem ad subjectum ut ad causam materialem: non ergo genus sumitur semper ex materia physica.

Ad secundam confirmationem bene respondet D. Thomas qu. i de spiritualibus creaturis, art. i ad iv, quod Augustinus in illo loco non intendit dicere quod sit eadem materia numero, visibilium, et invisibilium, sed quod etiam in spiritualibus potest intelligi aliquid informe quod nomine materiæ appelletur. Non autem dicit quod Deus fecit materiam communem visibilium, sed quod terra invisibilis, et incomposita, et tenebræ super faciem abyssi potest intelligi quod hoc totum quod cælum, et terra appellatum est, adhuc imformis, et tenebrosa materia erat, unde fieret cælum intelligibile, et terra, scilicet omnis natura corporea, quod non est dicere utramque naturam, scilicet corpoream, et spiritualemente factam ex eadem materia, sed quod potest intelligi, et appellari informis et tenebrosa materia quatenus utraque sub statu alicujus informitatis, et potentialitatis potest intelligi. Ad auctoritatem autem Boetii respondet ibi D. Thomas ad primum, quod forma simplex, quæ non est subjectum, intelligitur de forma simplici, non solum quæ caret materia componente, sed etiam quæ caret potentialitate, et est actus purus. Reliquæ autem formæ quæ habent aliquid



potentialitatis, non dicuntur formæ simplices omnino, saltem metaphysice. Et hoc modo Angeli possunt suscipere accidentia, quia sunt formæ, cum potentialitate ad recipienda accidentia.

XII. Secundo, arguitur ad probandum quod Angeli debeant constare aliqua materia, saltem spirituali. Nam nulla est implicatio, quod datur talis materia: nam si aliqua esset, maxime quia impedit rationem intellectualitatis, hoc autem non currit in præsentia, quia materia quæ impedit intellectualitatem est materia cum conditionibus corporeis: illa autem materia spiritualis caret istis conditionibus, quia spiritualis est. Ex parte autem ipsius materiæ, et ex parte ordinis ipsius ad formam, non est repugnantia istius materiæ spiritualis, quia valde probabilis est sententia D. Thomæ, qui dicit materiam cœlestem specie distingui a sublunari, et illa specifica distinctio est ex diverso ordine ipsius materiæ ad suam formam: ergo etiam non repugnabit ex parte materiæ, et ordinis ejus ad formam dari materiam propriam, et peculiarem in ordine spirituali, quæ dicitur materia spiritualis, quia solum spiritualium formarum susceptiva erit. Quod si semel ponatur non implicare hanc materiam spiritualem, non est cur negetur Angelis; nec enim nobis constat non esse productam talem materiam. Et convenientius est sic ponere, eo quod substantia Angeli ponitur in prædicamento; principia autem prædicamenti substantiæ sunt materia, et forma, ut sumitur ex Boetio in commento prædicamentorum, ubi dicit, quod Aristoteles in prædicamento substantiæ, relictis extremis, scilicet materia, et forma, agit de medio, scilicet de composito, per quod dat intelligere, quod sola substantia composita, est in prædica-

mento: ergo Angelus qui est in prædicamento non est forma simplex.

Confirmatur ex eo quod dicit Aristoteles VIII metaphys. quem citat D. Thomas quæstione de spiritualibus creaturis, art. 1, in argumento quinto, quod si qua substantia est sine materia, statim est ens, et unum, et non est ex alia causa, ut sit ens, et unum: ergo idem est esse sine materia, et esse sine causa suæ entitatis. Angelus autem habet causam suæ entitatis: ergo habet materiam, non corporalem: ergo spiritualem.

Et secundo confirmari potest ex illo communi axiomate, quod actus, et potentia sunt in eodem genere, sed in genere spirituali datur actus, seu forma substantialis: ergo etiam dabitur potentia substantialis in eodem genere, et hæc est materia.

Respondetur, implicationem materiæ spiritualis jam a nobis esse traditam, tum ex eo quod impedit intellectualitatem, saltem in se quam non deberet impedire, si spiritualis est; tum quia superaret omnem actum formalem corporeum, ut explicavimus: licet enim ad intelligibilitatem non conducit quæcumque materia, nec etiam materia ipsa corporalis impediatur intellectualitatem ex parte formæ, quæ sibi uniatur, sicut non impeditur intellectualitas nostræ animæ ex eo, quod uniatur materiæ corporali, tamen materia non solum impedit intellectualitatem, quia corporea est, sed quia modo entitativo recipit formas, id est, in ordine ad componendum unum tertium, et non modo intelligibili, id est, ad repræsentandum in se, et transformandum repræsentative objecta. Unde materia quæcumque, etiam spiritualis, si daretur, recipit formas coarctando illas ad se, et ad proprium esse quod op-

ponitur, seu impedit modum recipiendi intelligibiliter, qui petit amplitudinem ad recipiendum non solum formas proprias, sed etiam alienas, ut late ex D. Thoma expendimus præcedenti tomo, disp. XVI, articulo primo. Unde cum materia spiritualis si daretur, etiam hoc modo entitativo reciperet formas, et non solum modo intelligibili, licet non excluderet formam intellectualem, tamen in seipsa impediret spiritualitatem, quia spiritualitas est ratio intelligibilitatis, et quod non est seipso intelligibile, aut intellectuale, non est seipso, et in substantia spirituale: modus autem recipiendi intelligibiliter, et proprius spiritualitatis est oppositus modo recipiendi materiæ primæ, ut supra ponderatum est, quia materia prima solum recipit formas entitative ad componendum cum illis aliquam tertiam entitatem, modus vero recipiendi spiritualiter, et intelligibiliter est recipere alia a se, et non ad componendum, neque coarctando formas ad se; non ergo potest esse modus sic oppositus materiæ primæ, et convenire.

XIII. Ad id quod dicitur de repugnantia istius materiæ ex parte ordinis ejus ad formam, dicimus ex parte hujus ordinis non repugnare quod dentur materiæ specie diversæ, repugnare autem quod aliqua materia sit pura potentia in genere substantiali, et sit elevata, et perfectior omni actualitate corporali: sic enim non potest manere pura potentia in genere substantiæ, cum ista perfectio non possit convenire nisi ratione actualitatis formalis, vel plusquam formalis, quia excedit formas corporeas.

Ad convenientias vero quæ afferuntur pro hac materia statuenda, respondetur nullas esse: constat enim non esse productam talem materiam ex rationibus supra alla-

tis ex D. Thoma et fatemur substantiam Angeli poni in prædicamento. Negamus autem quod de ratione substantiæ, quæ est genus, sit esse compositam ex materia, et forma, nec id intendit Boetius, ut recte explicat D. Thomas qu. I de spiritualibus creaturis, art. I ad XXIII, cum substantia prædicamentalis sit de consideratione metaphysici, non physici, qui considerat materiam; et sic sensus Boetii est, quod philosophus relicta substantia incompleta, quæ sunt extrema, et partes componentes, ut materia, et forma, agit solum in prædicamentis de substantia totali, et completa qualis est composita ex materia, et forma. Non tamen ex hoc deducitur quod substantia spiritualis completa, etiamsi careat materia, non sit in prædicamento, cum genus non sumatur a materia physica, ut explicatum est, et constat in accidentibus.

Ad primam confirmationem respondetur, illud dictum philosophi explicari a D. Thoma citato loco de spiritualibus creaturis ad quintum, quod substantia, quæ non habet materiam, statim est ens, et non est ei alia causa, ut fit ens, id est, alia causa formalis, non autem causa efficiens, quia seipso est forma, non tamen a se est ens; et sic Angeli carentes materia habent causam efficientem a qua sint, non formalem in se receptam, quia per se formæ sunt, habent tamen causam efficientem, et influentem sibi esse.

Ad secundam confirmationem dicitur, illud axioma procedere de actu receptibili in aliqua potentia, non autem de actu completo, et subsistenti, cui non debet correspondere materia, seu potentia susceptiva. Et sic non sequitur dari materiam spiritualem, quia datur actus substantialis spiritualis, cum hic ac-



tus sit completus, et subsistens. An vero semper potentia, et actus sint in eodem genere, et quomodo illud axioma intelligendum sit, explicuimus in libro physicorum, et de generatione quod intelligitur de potentia per se ordinata ad actum, et ad quem dicit essentialem ordinem. Vel etiam quod in quocumque genere invenitur potentia, et actus, non tamen intelligitur quod si in aliquo genere est actus totalis, et completus debeat in eo genere inveniri potentia quæ sit materia componens et recipiens talem actum.

## ARTICULUS III.

*Utrum repugnet dari plures Angelos solo numero differentes?*

I. Duplex in hac parte potest esse difficultas.

Prima, et principalis est, supposito quod in Angelis nulla datur materia neque corporea, neque spiritualis, sed sint formæ subsistentes utrum habeant in se principium multiplicationis individualis, in vero careant illo, hoc ipso quod careant omni materia. Qua controversia non solum respicit id quod naturaliter esse potest, sed etiam id quod de potentia absoluta, quia si caret natura angelica principio multiplicationis, non solum ex natura rei, sed etiam de potentia absoluta, non poterunt multiplicari, quia principium multiplicationis debet convenire rei, quæ multiplicatur per sua intrinseca, eo quod individuatio est prædicatum intrinsecum ipsius individui, et consequenter multiplicatio ejus per principia intrinseca fieri debet, et ita principium individuationis, et multiplicationis individuorum non potest per extrinsecum principium sup-

pleri, et ab extrinseco advenire. Quare idem est inquirere utrum natura angelica careat principio multiplicationis individualis in sua intrinseca substantia, atque inquirere an possit de quacumque potentia dari multiplicatio individualis Angelorum intra eandem speciem.

Secunda difficultas est ex suppositione quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis, eo quod tale principium non sumatur a materia, an saltem propter extrinsecum finem non expediatur, quod de facto multiplicentur intra eandem speciem: sicut sol, et luna sunt individua habentia materiam, quæ est principium multiplicationis individualis, et tamen de facto multiplicata non sunt, quia non convenit ex fine extrinseco universi, in quo non bene coaptarentur plures soles habendo universalem influentiam, quam iste modo habet in hæc inferiora. Neque etiam conducit ad finem proprium ipsius naturæ solis, quia cum sit incorruptibilis, non indiget multiplicatione individuorum ad conservandam speciem, propter quem finem multiplicantur individua in istis inferioribus. Eodem modo potest inquiri, etiam dato quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis intrinseco, an saltem propter incorruptibilitatem naturæ angelicæ, et propter ordinem universi non dentur de facto multi Angeli ejusdem speciei, quod in eo casu solum reduceretur ad conjecturas aliquas, quia præcipua ratio reducitur ad voluntatem Dei, de qua nobis constare non potest, nisi per ejus revelationem. Prius ergo tractandum nobis est prior controversia. Deinde, aliquid circa secundam disquiremus.

## IMPLICATIO MULTIPLICATIONIS INDIVIDUALIS NATURÆ ANGELICÆ.

II. Duplex ergo circa priorem controversiam, sententia versatur. Prima negat implicare contradictionem. Secunda affirmat. Quarum sententiarum præcipua fundamenta consistunt in reddenda, vel expungenda implicatione.

Primam sententiam, scilicet non implicare, tenent Scotus in II, dist. III, qu. VII; Durandus ibi quæst. III; D. Bonaventura in II, dist. IX, qu. I, art. I; Vasquez in præsentis disputatione CLXXXI, c. III; Alarcon tract. VI de Angelis, disp. I, c. VII; Suarez in metaph. disp. V, sect. II, num. XXVIII, et lib. I de Angelis, cap. XV, et probabilem censent Capreolus in II, dist. III, qu. I; Bagnez super hanc quæstionem I, art. IV, dub. II; Ferrariensis II contra gent. c. XCIII; Bubalus in præsentis, quæstio I, difficult. III, §. I, aliique Thomistæ.

Secundam vero sententiam sequuntur communiter Thomistæ, Capreolus loco citato ad secundum argumentum Durandi contra secundam conclusionem, dicitque esse de mente D. Thomæ; Cajetanus de ente, et essentia, cap. V, quæst. IX; Hervæus in II, dist. III, qu. I, art. II; Nazarius in hac quæstione I, art. IV, contr. II; Granados contr. VII generali, tract. I, disp. IV, n. IX; collegium Carmelitanum tract. VII de Angelis, disp. I, dub. VII, aliique plures.

De mente sancti doctoris dubitatum etiam est in hac parte, quia in opusculo XVI, paragrapho ultimo dicit contra Averroistas, quod: « Valde ruditer argumentantur ad ostendendum quod Deus non possit facere quod sint multi intellectus ejusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim, inquit sanctus doctor, quod non esset

de natura intellectus quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod intellectum multiplicari includeret contradictionem: nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicujus, quod tamen habet illud ex alia causa, sicut grave habet ex sua natura quod non sit sursum, tamen grave esse sursum non includit contradictionem, sed grave esse sursum secundum suam naturam contradictionem includeret. Sic ergo intellectus si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa. Nec esset implicatio contradictionis. » Quem locum ita ponderat pater Suarez ut velit juxta sententiam D. Thomæ non solum esse falsum, sed etiam valde rude, et improbabile dicere, quod implicet Angelos multiplicari in eadem specie.

III. Ex alia parte obstat non solum expressa auctoritas D. Thomæ. Sed quod multo ponderosius est, ejus ratio, quæ si aliquid probat impossibilitatem hujus multiplicationis simpliciter, et in ordine ad potentiam absolutam probat. Et ita recte dixit Scotus ubi supra, quod si sequamur rationem D. Thomæ tenendum est Angelos non posse solum numero differre. Auctoritas expressa D. Thomæ est in quæstione de spiritualibus creaturis, art. VIII, ubi inquit quod: « Si Angelus est forma simplex abstracta a materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei. » Et in hac prima parte, qu. LXXV, art. VII, dicit: « Non posse Angelos, et animas esse ejusdem speciei, quia cum Angeli non sint compositi ex materia, et forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est quod necesse erit in eis esse diversitatem in specie: non enim potest intelligi